

aut per morsum serpentis, aut canis rabidi. Et si Sol fuerit in signo aereo infortunatus a Saturno, aut Marte, suspendetur, aut tractum chordae patietur, aut coniunctur in carcerem.

Venus, significat leuitatem mortis, propter leuitatem ægritudinis, & removet malam mortem, & horribilem, sed eadem mortem quoq; matris, & nutricum, & maiorum nati significat, dat diuitias, & hæreditates, & talis natus uiuet longo tempore, & non morietur mala morte.

Mercurius, significat nato mortem ex difficultate cogitationis, & mirabili occultatione rerum agendarum, sed inimicitias maximas a uiciniis, & mendacia causa mortuorum notat, ac facit infortunatos, propter maximas inimicitias cum uiciniis, & dat infortunium in hæreditatibus. Et si Mercurius fuerit in domo sua, aut in sua exaltatione, aut in bono aspectu Iouis uel Veneris, habebit hæreditatem, & diuitias. Sed si coniunctus cum Marte, aut cum Saturno fuerit, morietur mala morte.

Luna, significat mortem facilem, ac interitum, & depositionem regis, falsum testimonium, rixas, fugam, & anxietatem, qualem lunatici patiuntur. Dat hæritates, diuitias, & longam uitam. Sed si est infortunata, natus uiuet parum, & erit lunaticus, & persequentur illum magni uiri, erit falsificator testimoniorum contra ipsum, & multas rixas, & carceres habebit.

Caput, facit robustos, animosos, dat paucos dolores, diuitias, & hæreditates, & multos honores, erit liberalis, prodigus magis quam avarus.

Cauda, dat horrendam mortem, facit perdere hæreditates, nihilominus, facit diuitem, & avarum.

De nona domo.



Atumnus in nona, significat malam fidem, & exitum ad malum, facit hominem parum deuotum, & erit monachus, aut sacerdos, non credet admodum de fide sua, erit hypocrita, infortunatus in itineribus, somnia eius erunt terribilia, & uana. Et si fuerit in domo sua, erunt somnia horribilia, & pro maiori parte uera. Verum talis erit etiam hypocrita, sed honoratus in itineribus.

Jupiter significat bonam, & perfectam fidem, timentem Deum, & Dei cultum procurantem, & in hoc laborantem, dat lætitiam, & utilitatem in itineribus, erit honestæ uitæ, deuotus, & firmus in sua fide.

Mars, si non fuerit in domo sua, significat hæresim, & fidei peruersitatem, de honestat legem, dat falsa somnia, dat infortunium in longis viaginis, facit incredulum in sua fide, & impedit cultum diuinum, delectabitur natus in armis, & equis. Ac significat etiam potionem uini, incontinentiam, infidelitatem, multa somnia falsa, erit prauus, audax, incontinens infidelis. Si fuerit in domo sua, uel exaltatione, dat bonam fortunam in itineribus, & erit terribilis, & delectabitur in necromantia.

Sol, significat multitudinem peregrinationum in causis honoris, ac dignitatis, & magnitudinem ac fortitudinem fidei, & timorem Dei, facit magnum Prælatum, & religiosum. Et si fuerit in Ariete, Leone, uel Sagittario, facit Cardinales, aut Papam, aut magnum Principem, erit honoratus in longis itineribus, erit honoratus in suo exercitio. Somnia eius erunt pro maiori parte uera.

Venus, significat bonitatem fidei, & prosperitatem in itineribus longinquis, & multitudinem pollutionum in somniis, & quod uidebit se iacere cum mulieribus actum cum eis periciendo per apparentiam, quæ in somniis ei aduenit, facit magnum Prælatum Ecclesiasticum, uisitabit mundum totum, honoratus, & laudatus in

Cc suo